2 c a 5 r

quod scala illa, quae de cassino monte olim videbatur in caelum recta adhuc palliis strata lampadibusque conspicat, ut sicut tunc excepit ducem, ita nunc exercitum transmittat ad coelestia subsequentem.

Et Beatus ille ordinis nostri Monachus, cui ante obitum suum in extasin rapto nescio quae revelata sunt, adhuc amplius nobis felicitatem vocationis nostrae depraedicabat, quando ad se reversus circumstantibus dixit: vos numeratis annos et menses conversionis vestrae; ego autem dico vobis; felix, quicunque vel unicum diem devote in ordine vixerit, sive Monachus, sive Novitius, sive conversus ille sit.

Z.

Caeterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinae Sanctorum Patrum etc. Ad aliorum priorum institutiones nos legat Sanctus, et humilis Pater; ex queis perfectionis normam hauriamus, quam ipse nobis in compendio tam mirifice ostendit.

Nec non collationes Patrum, et instituta, et vita eorum, sed et Regula S. P. N. Basilii etc. Ex his verbis colligitur, S. P. Benedictum, usque eius tempori propemodum Monachos vixisse secundum Regulam S. Basilii, quam fere penitus collapsam in occidente ipse S. Benedictus restituit, moderatis quibusdam institutionibus in ea contentis. imo hodiedum quod Benedictini sunt in occidente videntur, in Ecclesia orientali esse Basiliani.

Nobis autem desidiosis, et male vi viventibus, atque negligentibus rubor confusionis est. Quid est, quod neque suam sanctitatem etiam tot miraculis coruscantem ex numero desidiosorum, et male viventium Monachorum excepit, cum dicat nobis? Certe eximia virtus, et summa perfectionis est, magna facere, et tamen magnum se esse omnino nescire. Nobis potius haec verba usurpemus; nobis autem desidiosis, et male viventibus atque negligentibus rubor confusionis est; quippe qui discretione Regulae moderata non contenti; quotidie novas relaxationes et dispensationes quaerimus. O quantum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII60/0571

gefördert durch
Baden-Württemberg